Porró meam de SS. Invoc: pertractionem vocavi *curiosam*, non ex *Philavthiâ & insolente superbiâ*, ut humillimus judicat Hermannus, sed ob allata totius Orientis Ecclesiarum testimonia recentissima, quæ quidem non sine *curâ* ab aliis conquisita, & à me sunt inventa: *Solidam* veró dixi ob *invictas* S Scripturæ & SS. Patrum auctoritates. Tu veró tametsi eandem *furiosam* dicas & *stolidam*, pati nihilominus debes, quód ea tibi frangit & franget talos. Et ringaris licet optime Conringi, imó omnes tui rivales conringantur, quidquid contrà eandem allatum fuerit, levis adinstar paleæ exsufflabo. Judicio autem illo immiti, *Philavthiæ* & insolentis superbiæ teipsum condemnâsti, cúm pag. 334. scribere non dubitâsti, *collectionem tuam* (verè vanam ac stolidam) *esse firmam &* SOLIDAM; Nonne debebas & tu de hoc aliis relinquere judicium?

ad pag. 12 FALSUM 10. & contra conscientiam dicis, *vitam meam esse otiosam.* Cúm SS. Theologiæ Lectorem me agere non ignores. Vitamque Capucinorum, nisi Regulæ Professionisque suæ immemorum, otiosam esse non posse. Sanè qui inter eos sunt Sacerdotes, quotidiè, respectu cùm particularis suæ, tùm illius, quâcum habitant, communitatis, publicè ad integras 7. horas sacris negotiis sunt occupati, etiam cum tu vel altúm stertis, vel politicis vacas; adeó, ut Lectores, Concionatores, aliique, quibus studere ac proximo incumbit inservire, de nulla re magis quàm de concessi sibi temporis brevitate querantur.

Ob dedicationis Discussionem Conringius castigatur.

ad pag. 16. FALSISSIMUM est 11. quód p. 16. & 17 contra conscientiam conviciando crepas Typographú *bestiali temeritate S. scripturæ* SUBTILITATEM *tetigisse*: Non enim ille, ut cuilibet